

» obligationibus de verbo ad verbum inferius annotatis, concluden-  
» dum, stipulandum et roborandum, cum eadem facultate, bailia  
» et libertate, ac si idem illustris princeps et excellentissimum do-  
» minium venetorum interesset et facere posset. Tenor autem in-  
» strumenti, cum omnibus et quibuscumque capitulis, clausulis et  
» obligationibus conficiendis, stipulandis et roborandis, talis est;  
» videlicet:

• **IN NOMINE DOMINI, AMEN.** Per hoc praesens publicum  
» instrumentum cunctis pateat evidenter et sit notum, quod anno  
» a Nativitate ejusdem M. D. X. Indictione XIII. die vero XXIIII  
» mensis februarii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et  
» D. N. dom. Julii divina providentia papae II anno septimo, in  
» praesentia ejusdem S. D. N. papae meique notarii publici et  
» testium infrascriptorum ad haec vocatorum et rogatorum per-  
» sonaliter constituti magnifici viri domini Dominicus Trivisanus  
» eques, procurator sancti Marci, d. Leonardus Mocenigo, d. Aloy-  
» sius Maripetro, d. Paulus Capellus eques et d. Hieronymus Do-  
» natus doctor, nobiles veneti, oratores, sindici et procuratores  
» per illustrissimum et excellentissimum principem dominum Leo-  
» nardum Lauredanum ducem, rogatos, consiliarios, et dominium  
» Venetiarum legitimo et sufficienti numero ac solito loco congre-  
» gatos, prout in similibus et aliis gravibus negotiis peragendis  
» facere consueverunt, legitimate constituti, non vi, dolo, metu, frau-  
» de aut aliqua sinistra machinatione circumventi, sed sponte et  
» libere et ex certa eorum scientia ac voluntate, maturaque deli-  
» beratione praehabita, in modum infrascriptum, et juxta capita-  
» et conventiones infrascriptas ibidem exhibitas, ac de verbo ad  
» verbum lectas et intellectas, promiserunt, convenerunt et obli-  
» gaverunt: quorum capitulorum et conventionum tenor de verbo  
» ad verbum sequitur, et est talis: